



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Simon, Pontifex Judæorum & Dux.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

pullum denique postremâ Darii clade ac morte planè prostratum est.

Tanto Imperio necdum contentus Caucasum Taurumque montes transgressus Bactrianos deditione accepit; inde ultra Tanain movens Scythas, qui hæctenus invicti esse credebantur, devicit. Tum reliqua Sogdianorum regione perdomita Indiæ fines ingressus victo Poro Rege ad Gangein usque penetrasset, si adducere potuisset milites victoriis jam dudum fessos. Igitur reversus est Babylonem, ubi auditis totius ferè orbis terrarum Legatis febri per potûs intemperantiâ contractâ mortuus est.

Alexander moritur,

An. 3676.

Onias, Pontifex Judæorum & Dux,

Cum Alexander Successorem designare nolisset, vastissimum Regnum inter præcipuos ipsius Duces divisum est; inter quos Prolomæus Ægyptum, Seleucus Syriam, cujus pars erat Judæa, ac Babyloniam obtinuit; qui tamen nonnisi post victum casumque Antigonom, cui in illa partitione Asia obtigerat, suum stabilivit Imperium, cœpitque Rex Syriæ atque Asiæ neminem Superiorem agnoscere; unde & qui sacram Machabæorum historiam scripsit, ab hoc mundi 3688. veluti primo Imperii Græcorum anno exordium ducit, ac si Alexander hucusque regnasset.

Ab An. 3682

Imperium Alexandri inter præcipuos Duces dividitur. Prolomæus, Rex Ægypti, Seleucus, Syriæ Rex.

Confirmato Regno Seleucus urbes condidit; ac in primis Syriæ Metropolim ac Regni Sedem ad Orontem fluvium, quam à nomine Patris sui Antiochiam appellavit; deinde Laodiceam à Matris, Apameam ab uxoris, Seleuciam à suo nomine dici voluit.

An. 3688.

Seleucus condidit in Syria novas urbes. Jos. l. 12. c. 1.

Simon, Pontifex Judæorum & Dux.

Accepere Judæi novum Pontificem Simonem Oniæ filium, cui justo cognomentum fuit propter sollicitam in DEum Religionem & pronam in suos cives clementiam. Iste reparavit substructiones, quibus Templi fundamenta fulciebantur, curavit quoque, ut aquæductus restituerentur.

Ab An. 3702.

Templi substructiones Jerosolymæ reparantur.

Seleucus verò in eas urbes, quas hæctenus ædificavit, Judæos quoque transtulit; Jus eis Civium pari cum Græcis Jure per-

In novas urbes Judæi

Sacra Veterum Temp. Histor.

Gg

quòque mi-
gram.
Jol. 1. 12.
ant. 6. 9.

permittens; vixeruntque deinceps Judæi quietè tum in patria tum per reliquam Syriam in novis his civitatibus secundum leges & ritus patrios sub isto & sequentibus Regibus Syriæ & Asiæ, sed & in Ægypto eos Ptolomæus stabilivit.

Eleazar, Pontifex Judæorum & Dux.

Ab An. 3713.
Eleazar mir-
dit Regi Æ-
gypti 72. Ju-
æos, qui li-
bros sacros
vertant in
linguam Græ-
cam.
Ptolomæus II.
Philadel-
phus dicitur
Ægypti Rex.

Mortuo Simone, qui duodecim ferè annis Pontificatum sanctè atque utilitèr administravit, successit Eleazar Simonis Frater, non Onias Simonis Filius, quòd tum adhuc parvulus esset. Non diu post moritur Ptolomæus Ægyptiaci Fundator Imperii; successit Filius Ptolomæus secundus, quem consortem Imperii præ aliis Filiis vivus adhuc Pater assumpserat. Iste Regni sui initio iussit in Insula prope Alexandriam celebrem Pharum seu altissimam turrem construi; ne nautæ in Insulam impetuosi provecti in portu naufragium facerent, sed maturè, dum adhuc in alto navigarent, accensa in Pharo face monerentur. Erat quoque Rex iste literarum atque doctorum hominum valde amans; unde celebrem Alexandriæ Bibliothecam erigere cœpit; quam ut etiam Hebræorum libris, quos ipsi divinos profitebantur, ornaret, ab Eleazaro Summo Pontifice per epistolas petiit peritissimos quosque probatissimosque Interpretes, qui eos in Græcam linguam, tunc in Syria ac Ægypto etiam inter Hebræos jam valde communem verterent. Annuente itaque Eleazaro in urbem regiam Alexandrinam convenère septuaginta duo Judæi utriusque linguæ insigniter periti, quorum opera Sacri Codices in linguam Græcam summa fide translati sunt divino planè beneficio, ut sic ethnicis quoque Nationibus præpararetur salus, apud quos Græca tunc lingua, ut in Græcorum Imperio, frequentabatur.

Romani sub-
actâ Italiâ
et am in mari
dominari in-
cipiunt.
Antiochus,
Rex Syriæ,

Dum hæc fiunt in Ægypto, Seleucus ex commilitonibus Alexandri Magni ultimus superstes per insidias occiditur; Syriæque ac Asiæ Rex fit ejus filius Antiochus. Ptolomæus vero missis ad Romanos muneribus amicitiam cum iis primò pepigit, quâ re delectati Romani vicissim Legatos in Ægyptum misere, qui à Rege magnificè donati redierunt. Porro Romani subactâ demum post quadringentos & octoginta annos pacatæque ferè tota Italiâ potentiam suam hoc tempore etiam foras pro-